



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. ij. Diuisiones virtutis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

portandumque equitem, & expectandum etiam hostem. Quod si id ipsum se habet in vniuersis, ut virtus etiam hominis, habitus is erit, à quo bonus efficitur homo, & quo bene suum opus ipse reddet, efficietque.

Virtutis
moralis de-
finitio.

Dico secundò, rectè definiti virtutem moralem, *Est habitus electivus in mediocritate consistens, eà quæ est ad nos definita ratione, & ut prudens definitur.* Vbi habitus ponitur loco generis, reliqua locum habent differentia.

Primò enim habitus dicitur electivus, quia electio adequatus est actus virtutis; non significat autem hoc loco electio illam duntaxat actum voluntatis, qui est circa media, sed quemcumque actum voluntatis, quo vnum alteri præferatur, siue illud medium sit, siue finis; voluntas enim nunquam liberè agit, quin eligat, id est præferat vnum alteri; actionem v. g. cessationi ab actione. Quando ergo virtus dicitur habitus electivus, significatur illam esse habitum voluntati deservientem, pro ut operatur liberè præferendo vnum alteri, siue præferat vnum medium alteri medio, siue præferat vnum finem alteri fini.

Secundò dicitur in mediocritate consistens, eà quæ est ad nos definita ratione, id est non in medio rei, quod apud omnes semper est idem, sed in medio rationis, quod est medium respectu nostri. Denique additur, ut prudens definitur, quia proprium prudentiæ munus est determinare medium pensatis omnibus circumstantiis. Aliæ omnes virtutis definitiones cum allatis coincidunt. Dicitur v. g. ultimum potentia, quia est illud ultimum, ad quod potentia pertingere potest, ut plenè perficiatur. Addenda est & altera definitio Augustini, *Virtus est bona qualitas mentis, quæ rectè vivitur, & quæ nemo malè vivit.*

SECTIO II.

Diuisiones virtutis.

Aristot. 2. Ethic. cap. 7.

TRadita virtutis quidditate, sequitur ut partes assignentur, in quas diuiditur. Multipliciter autem diuiditur: primò in acquisitam & infusam; quæ diuisio pertinet ad disquisitionem theologice, & hoc loco penitus omittendam: secundò in intellectualem & moralem, de qua dictum aliquid est in Physica: tertio diuiditur virtus moralis in quatuor principales, seu Cardinales, de qua dixi etiam in Theologia: quarto Aristoteles diuidit virtutes specialiter in eas quæ dirigunt affectus, res externas, & conuersationem humanam: quinto alia quadam sunt diuisiones virtutis allatæ à S. Thoma, & à Philosopho.

S. I.

Diuisio virtutis in intellectualem & moralem.

Aristot. lib. 1. Ethic. cap. vi.

Virtutis vni-
uersalissime
sumptæ di-
uisio.

Dico primò virtutem vniuersalissimè sumptam rectè diuidi in intellectualem, quæ pertinet ad intellectum, & moralem, quæ voluntatis propria est.

Ratio est, quia virtus vniuersè sumpta est habitus indefectibiliter attingens bonum potentia rationalis: si ergo attingat verum, quod est bonum potentia intelligentis, erit virtus intellectualis;

si autem attingat indefectibiliter honestum, quod est bonum potentia rationalis, virtus erit moralis: ergo recta est diuisio virtutis in moralem & intellectualem.

Definitur autem 6. Ethic. virtus intellectualis, per quam anima dicit verum affirmando, aut negando; dicit, inquam, indefectibiliter, idèque suspicio & opinio cum versentur sapientissimè circa falsum, virtutes non sunt intellectus.

Ars & prudentia virtutes sunt intellectus, & Aristoteles attingunt indefectibiliter verum; nam tamen ad iuncta interdum habeant iudicia falsa, ut cum das elemosynam illi quem prudenter iudicas esse pauperem; cum architectus ex arte iudicat lignum aliquod esse tali loco reponendum, ignorans naturam illius ligni quod est impar sustinendo oneri; iudicia tamen illa non proveniunt ex ipsis habitibus artis & prudentiæ, seu ex earum principis; sed ex aliqua prævia operatione falsa, ut in exemplis allatis patet. Nam in priore iudicium prudentiæ supponit iudicium vnum speculationum falsum de paupertate alicuius, sed supposito eo iudicio falso, iudicium prudentiæ verissimum est. Eadem ratio est alterius exempli. Consistunt ergo semper ars & prudentia in aliquo iudicio vero, licet possint supponere aliquod iudicium falsum, quod tamen non proveniet vquam ab ipso habitu artis, aut prudentiæ, nec ex earum principis; opinio autem & fides non sunt huiusmodi, quia proprius earum actus esse potest error.

Differunt ars & prudentia inter se, quod ars versetur circa res facibiles, prudentia circa res agibiles, id est ars circa res externas, prudentia circa solos mores. Differunt à scientia, intellectu, & sapientia, quod ars & prudentia versentur circa contingentia & singularia; scientia, intellectus & sapientia circa vniuersalia & necessaria.

Virtutem moralem nupet definiui, sed dupliciter tamen sumi potest: primò pro virtute formaliter morali, quæ solius est voluntatis: secundò pro virtute materialiter morali, cuius videlicet obiectum materiale sunt ipsi mores & humanæ actiones; quo modo prudentia est virtus moralis, quia ipsius est dirigere mores, seu actus, quos eliciunt aliæ virtutes voluntatis. Et hæc est propria ipsius materia.

S. II.

Diuisio virtutum in quatuor Cardinales.

Dico secundò, benè diuidi virtutem moralem in quatuor cardinales, siue principales, prudentiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam. Ita docent Theologi omnes communiter, & Philosophi; dicuntque cum Augustino illa esse flumina quatuor exeuntia à paradiso, ut vniuersam terram irrigent: cum S. Nilo, illas esse quatuor particulas diuini thymiamatis: cum Gregorio, illos esse angulos quatuor ædificij spiritualis, vel etiam Seraphinos quatuor Dei curam trahentes: cum aliis, quatuor cœli plagas, quatuor elementa gratiæ, Dei quadrigam, & cætera.

Primò ergo, quod recta sit hæc diuisio, probatur, quia illa virtutum diuisio est recta, cuius membra diuidentia verè participant rationem virtutis: quatuor illa membra verè participant rationem virtutis; nam ut homo rectè se habeat, debet ratio eius esse rectè composita in seipsa; quod fit per prudentiam; & erga partem inferiorem, quod fit per fortitudinem & temperantiam; & erga

erga alios, quod sit per iustitiam: ergo diuisio illa recta est.

Deinde ratio S. Thomæ optima est, quia radix omnis virtutis est recta ratio, quæ regulare debet actiones ad alterum, & passiones appetitus, tum prosequutiui, tum auersatiui. Rectitudo rationis prudentia est; actiones ad alterum moderatur iustitia; passiones prosequutiuas temperantia; passiones auersatiuas fortitudo: ergo diuisio illa recta est, quatuor membra continens, ad quæ veluti ad principia & fundamenta reuocantur quodammodo aliæ virtutes morales, illique annexæ sunt vel tanquam partes subiectiue, vel tanquam partes integrantes, vel tanquam partes potentiales.

Partes subiectiue illæ sunt, quas præcipua virtus sub se continet, tanquam veras species, de quibus prædicatur vt genus de suis speciebus. Integrantes illæ dicuntur, quæ necessariò concurrunt omnes ad præcipuum eius actum. Potentiales dicuntur eæ, quæ non habent totam vim principalis virtutis, sed tantum quasi partialem. Id est, quæ non sunt species talis virtutis, sed propter quandam conuenientiam ad illas reuocantur.

Fateor tamen diuisionem hanc non esse omninò adæquatam; quia virtus illa, quæ vult aliquis in communi bene facere, non videtur pertinere ad obiectum formale vllius specialis virtutis.

§. III.

Aristotelica diuisio virtutis moralis.

Virtutis moralis diuisio Aristotelica.

Dico tertio, rectè ab Aristotele diuidi virtutes morales, in eas mediocritates, quæ respiciunt affectus, res externas, & conuersationem humanam; demùm addere mediocritates quasdam, quæ non sunt propriæ virtutes. Quæ diuisio comoda est, non tamen rigorosa, nec adæquata.

Primo ergo cùm statuerit cap. 6. virtutes omnes esse mediocritates, idipsum cap. 7. accommodat ad singulas virtutes; quia, inquit, sermonum eorum, qui circa actus versantur, vniuersales quidem magis communes, particulares verò magis sunt veri. Ponitque primum virtutes, quæ affectus moderantur, quæ sunt fortitudo & temperantia; mediocritas enim circa timores & fiducias est fortitudo: excessus timoris, & defectus fiducie, timiditas est: defectus timoris & excessus fiducie audacia. Mediocritas circa voluptates & dolores est temperantia, exsuperatio intemperantia; defectus nomine caret, quia pauci circa voluptates deficiunt, idè nec nomen habent, sed insensati vocantur. Mediocritas circa iram est mansuetudo, excessus iracundia, defectus iræ vacuitas, ἀσθένεια.

Secundò res externas, videlicet pecuniam & honores respiciunt liberalitas, magnificentia, magnanimitas & virtus innominata. Mediocritas circa dandas, & capiendas pecunias in paruis sumptibus est liberalitas; exsuperatio in erogandis pecuniis, & defectus in capiendis, est prodigalitas; excessus in capiendis, & defectus in dandis est auaritia. Mediocritas in erogandis pecuniis magnis ad grandes sumptus, & grandia opera, est magnificentia; excessus, ruditas circa decorum; defectus, pusillitas. Mediocritas circa magni honoris appetitum, & contrarij displicentiam, est magnanimitas; circa paruos autem nomine careri, excessus ambitio; defectus ἀφιλοπρέψια.

A Tertio, in communi congressu ad verba & actus tres sunt necessariae; vna quæ respiciat verum, altera quæ respiciat iucundum in verbis & ioco; tertia quæ iucundum in singulis congressionibus. Mediocritas circa verum dicitur candor; excessus fictionis, si ad maiora tendat, arrogantia; si ad minora, dissimulatio. Mediocritas circa iucundum in ioco consistens, comitas; excessus, scurrilitas; defectus, rusticitas. Mediocritas circa reliquum iucundum quod est in vita, iucunditas, seu amicitia; defectus, contentiositas; excessus, adulatio, si fiat vtilitatis causâ; si nullius rei gratiâ, placiditas.

B Quarto, affectus potius sunt quàm virtutes verecundia, & indignatio; sunt tamen virtutes improprie. Mediocritas circa pudoris affectum, verecundia; excessus, pauiditas; defectus, impudentia. Mediocritas circa dolores & voluptates eorum, quæ proximis accidunt, est indignatio, quæ mediocritas est inuidia; excessus in dolendo de bonis, inuidia; excessus in gaudento de malis, est malèvolentia. Hactenus Aristoteles, qui membra huius diuisionis explicat lib. 3. & 4. Omisit autem hîc iustitiam, quia eas solum virtutes enumerabat, quæ sunt inter duo extrema vitiosa. Non est ergo adæquata diuisio, nec sanè rigorosa, vt patebit ex statim dicendis.

§. IV.

Reliquæ diuisiones virtutum.

Dico quarto, rectè quoque diuidi virtutes in eas quæ sunt circa actiones, & eas quæ sunt circa passiones. Illæ sunt circa actiones, in quibus bonum & malum sumitur ex commensuratione ad alterum distinctum ab operante; circa passiones illæ, in quibus bonum & malum sumitur ex commensuratione ad ipsum operantem.

Virutes circa actiones & circa passiones.

D Ratio est, quia tot sunt virtutes, quot modis possunt obiecta esse conformia rationi; virtus enim rectitudo est, & conformitas cum recta ratione: sed obiecti rectitudo, vel simpliciter respicit operantem; & sunt virtutes circa passiones; vel respicit alterum distinctum ab operante, & sunt virtutes circa actiones, quæ videlicet mediare quidem versari possunt circa passiones imperando earum repressionem, sed non immediatè.

E Secundum hæc duo membra diuidi possunt virtutes, quarum decem moderantur virtutes ad alterum, & totidem moderantur passiones. Prima circa actiones iustitia est, quæ reddit cuique ius suum: secunda religio, quæ Deo debitum cultum reddit: tertia pietas, quæ patriæ ac parentibus debita officia rependit: quarta est veritas in verbis: quinta fidelitas in promissis: sexta gratitudo, quæ compensat beneficium: septima vindictio, quæ moderatè vlciscitur iniuriam & culpam: octaua liberalitas, quæ in vtilitatem aliorum pecunias largitur: nona magnificentia, quæ versatur in magnis sumptibus ad aliorum vtilitatem: decima amicitia, quæ officia exhibet amico.

Circa passiones primò temperantia moderatur voluptates appetitus concupiscibilis circa tactum & gustum: secundò liberalitas eiusdem delectationes circa honores: quarta magnificentia moderatur spem & desperationem circa magnos sumptus: quinta magnanimitas moderatur eandem circa honores: sexta veritas, quæ se alteri manifestat in verbis & factis decentibus, quatenus hoc est

est in ipso operante delectabile: septima amicitia, per quam exhibet se alteri iucundum in rebus seriis: octava, per quam exhibet se iucundum in iocis & ludis: nona fortitudo, quæ moderatur fiducia & timores: decima mansuetudo, quæ regit iram.

Altera diuisio virtutis habetur initio primi Ethicorum; alia enim est virtus heroica, alia communis. Heroica est, quæ siue ob excellentiam operis, siue ob circumstantiam, erumpit in actum difficillimum, & superantem modum communem operandi humanum; idem vocatur à Philosopho virtus, quæ super nos est, & diuina, diuinos efficiens homines: opponitur illi vitium, quod feritatem appellat. Virtus communis est, quæ actus elicit laudabiles, sed minùs difficiles, & non excedentes modum operandi humanum.

Tertia virtutum diuisio celebris est inter Platonicos; aiunt enim alias esse virtutes politicas, quæ modum statuunt affectibus; alias purgatiuas, quæ tollunt omnes affectus; alias purgati animi, quæ de affectibus nunquam cogitant; alias demum exemplares, quæ non consentientem intellectui actionem habent, sed essentia suâ idem cum ipso sunt.

SECTIO III.

Virtutum moralium proprietates & causa.

Quinque virtutum proprietates generales colligere licet ex Philosopho variis in locis. Connexionem earum explicat 6. *Ethic. cap. 13.* oppositionem vitij & virtutis 2. *Ethic. cap. 8.* difficultatem 2. *Ethic. cap. 9.* quibus adde inæqualitatem, & subordinationem. Causa subiectiua remota sola est natura rationalis, proxima est voluntas, non autem appetitus. Effectiua physica solus est actus, si sint naturales; si sint infusæ, solus est Deus. Quæ omnia plenè dixisse videor in 2. 2.

QVÆSTIO II.

De actu virtutis generatim.

Aristot. 3. *Ethic. ad cap. 6.*

Explicata natura virtutis, ad actum eius progredior, in quo video tria requiri. Primò ut sit voluntarius: secundò ut sit liber: tertio ut sit moralis, siue ut sit moraliter bonus; quæ singula exposuit breuiter Philosophus initio lib. 3. Fusius persequuntur Theologi 1. 2. quæ strictim hic repetito.

SECTIO I.

An, & quomodo actus virtutis esse debeat voluntarius.

Aristot. 3. *Ethic. cap. 1. 2. 3. & 4.*

In iis, quæ sua sponte quis agit, laudes & vituperationes; in iis quæ inuitus facit, venia nonnunquam & misericordia locum habet, inquit Philosophus *cap. illo 1.* quia scilicet primum quod in actu virtutis requiritur, est ratio voluntarij, quæ ut explicetur, videndum est primò, quid sit inuoluntarium, & quanam eius causæ; secundò

quid & quotuplex sit voluntarium: tertio quibus actibus propriè conueniat ratio voluntarij.

S. I.

Quid sit actus inuoluntarius, & quanam sint eius causæ.

Dico primò, rectè definiri à Philosopho actum inuoluntarium, eum qui vel vi, vel ignorantia efficitur; id est eum, quem violentia causat, vel ignorantia.

Ratio est, quia inuoluntarium opponitur voluntario: voluntarium tollitur per violentiam & ignorantiam: ergo inuoluntarium est id quod causatur per violentiam aut ignorantiam. Minor declaratur, quia ut aliquid sit voluntarium, debet procedere à principio interno cognoscente singula, ut dicitur postea. Si fiat per vim, non fiet à principio interno; si fiat per ignorantiam, non procedet à principio cognoscente singula: ergo vis & ignorantia tollunt voluntarium, & causant inuoluntarium; quod ut sit manifestius, videndum est, quomodo violentia, ignorantia, metus, & concupiscentia causent inuoluntarium.

Dico secundò violentum, quod causa est inuoluntarij, rectè definiri, *Id quod est à principio extrinseco, vim non conferente, seu reluctante passivo.* Vel etiam, *Violentum est illud, cuius principium est foris, & in quod nihil is qui agit, aut patitur, confert.*

Ratio est, quia violentum opponitur naturali & voluntario; ad naturale autem & voluntarium requiritur primò, ut sint à principio intrinseco, & iuxta inclinationem ac naturalem impetum passivi: ergo ad veram violentiam requiritur ut aliquid sit à principio extrinseco, & contra impetum naturalem ac inclinationem illius, quod pati dicitur violentiam. Internus enim ille impetus, contra quem violentia committitur, non est solus impetus agentis aut formæ, sed appetitus etiam solus ipsius subiecti, cui aliquid est connaturaliter debitum; sic enim colligitur ex verbis Philosophi, *in quod nihil confert is qui agit, aut patitur;* nam impetus ad recipiendum aliquid connaturaliter, æquè impetus est, ac impetus agentis.

Violentia igitur esse potest primò cessatio actionis, si v.g. cum agens operari vult, vel cum impetu innato fertur ad operandum, impediatur agere, patitur violentiam. Secundò, forma in subiecto recepta esse potest violenta, si sit contra inclinationem subiecti; v.g. calor violentus est aquæ; similiter actio ab extrinseco impressa violenta est passio, si sit contra eius inclinationem; nunquam autem potest actio ut sic violenta esse agenti à quo procedit, quia sic non est à principio extrinseco.

Tertio rei destructio non potest esse violenta rei quæ destruitur, sed subiecto quod illam exigebat.

Hinc colligitur, quomodo voluntas pati possit violentiam; primò enim pati sine dubio potest principio negatiuum violentiam, si ab extrinseco principio impediatur elicere actum, ad quem habet inclinationem; ut si beatus videns Deum, impediatur illum amare. Secundò violentiam pati potest circa externos actus, quos aliis potentiis imperat; si v.g. violentem currere detineas. Tertio violentiam pati non potest simpliciter circa internos actus elicitos ab ipsa voluntate, quia tales actus elicti à voluntate non sunt à principio intrinseco; imò quilibet actus voluntatis est inclinatio; implicat autem